

HEN. GLAREANI

hanc Europæ. - Inter pontum Euxinum & Propontidem est Bosphorus Thracius. Inter Mæotim & pontum Euxinum, Bosphorus Cimmericus, ab oppido Cimmerico Thauricæ Chersonesi, quod ipsum tamen à Cimbris nomen habet, autore Strabone lib.7. Eadem Europa ab Africa diuiditur, primum freto Herculeo, deinde mari mediterraneo, quod etiam nostrum mare omnes scriptores uocant. Accipit autem appellationem hoc mare ab uarijs, quas alluit, gentibus. Nā ubi Iberiam, id est Hispaniam attingit, uocatur Ibericum. Vbi Baleares insulas, Balearicum. Vbi Galliam, Gallicum. post Ligusticum, ab Liguribus populis: & Tyrrhenum, & Tuscum, & Hetruscum, & Inferum. Item Adriaticum, siue Venetum, siue Superum, Ionium deinde, & Siculum à Sicilia, & Sardoum à Sardinia, & Africum ab Africa. Ita Libycum, Aegyptiacum, Syriacum, Pamphylicum &c. Africa uero diuiditur ab Asia mari Indico, mariq; rubro, qui & sinus Arabicus dicitur. Deinde linea quæ ab Heroum ciuitate per Isthmum, quo Asia & Africa cōnectuntur, ad nostrum mare uergit, quamuis pleriq; autores ponant terminos Asiae & Africae Nilum, quos recte reprehendit Ptolemæus lib.2. cap.1. Ait enim commodius esse, quoties fieri potest, mari, quam flumine continentem diuidere. Præterea ne Aegyptus scindatur, ac distrahatur, si Nilus statuatur terminus.

EVROPA.

DE EVROPA ET PARTIBVS eius maioribus. CAP. XXII.

AB Europæ descriptione omnes autores inceperunt, tanquam ab ea quæ esset notior ac magis culta. Deniq; maxime celebrata, cum ob Macedonum imperium, tum ob Romanorum potentiam. Strabo etiam libro.2. multas præterea rationes adfert. Hanc Ptole-
mæus